



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 5. Res in Assumptionis & Sanctæ Fidei urbibus benè geritur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

appellare, in emeritâ senectute nihil exoptans avidius, quàm reliquam vitam in vestigijs tantî viri relegendis ponere. Post aliquantulam quietem, Salonius & Lorenzana statim se ad intermissa caritatis referunt officia; Paraquariensium pagos, quos in eorum absentia Romerus & Barlena Apostolicè etiam percurrerant, pervagantes.

**I**N Assumptionis urbe mirum in modum surgebat templi fabrica, Magistratûs præsertim benevolentia, qui operas inter cives omnes ita partiti fuerat, ut nulli essent ab labore exempti: divites servitia submittebant: fabri sine mercede fabricabant: pauperes, cibatu ab potentibus ministrato, contenti, operi insiltebant: pueri, fœminæque, nullo Indorum Hispanorûmve discrimine, terram atque aliam materiam bajulabant, dictitantes, omnibus profuturam molem omnium manibus erigi debere. Romero identidem flagitanti, ut ab pretiosa nimis materia abstinerent, ne civitas supra vires gravaretur; uno ore respondebant, nihil quæstuosius esse, quàm pro bono Jesu pretiosissima quæque impendere. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, solemnî apparatu in novam ædem nondum perfectam venerandum Christi Corpus inductum est. Quæ etiam tempestate Joannes Romerus, relicto, qui Socii in Assumptionis urbe & Villaticæ degentibus præfesset, Marcello Lorenzana, ad Sanctæ Fidei oppidum secundo Paraquario & flumine Argenteo navigavit: ubi quæcumque in Assumptionis urbe fecerat, solus ipse per octodecim integros menses renovavit: tanto Indorum Hispanorûmque concursu, & laborum fructu, ut civitas perspectis utrorumque conversionibus, ab Peruvix Provinciali, honestissimis verbis laudatò Romero, Socios & perpetuitatem sedis postularit. Interim Joannes Aquila, in rebus domesticis utilis, & bonus adjutor, qui etiam in tyrocinio Deum quingentis amoris actibus numeratò singulis diebus colere solebat, in Assumptionis urbe extinctus est, eoque, quo in sepulcrum illatus est, die Alfonso Barlenam maligna aura ita afflavit, ut per sex horas, profligatis in reliquam vitam residuis viribus, exanimatus jacuerit.

**D**UM hæc per Paraquariæ Præfecturam gererentur, Societas Omaguacatum genti, Christo & Hispano nomini conciliandæ, feliciter æquè ac fortiter insiltebat. Omaguacæ Tucumanix fines, quæ Peruvix obtenditur, habitant. Sub initia occupatæ provinciæ Hispanis servierant, & multi Christi fidem receperant: sed ab triginta ferme annis, occisis Christianis Sacerdotibus, atque Hispanorum plurimis, rebellaverant, cædibus & latrocinii non tantum vias ipsas, queis in Peruviam itur, verum etiam villas ac oppida infestantes. Nullus erat ad ferocissimam gentem domandam aditus: crudelitate sese undique sepierant: Hispanis incassum diu omnia frustra expertis. Mixti omnes, Ethnici Christianique, antiquis vivebant moribus, nulli rei magis intenti, quàm ne rursus in Hispanorum manus, vindictæ metu, inciderent. Sed Gaspar Monroius, pulchræ mortis avidus, Christi auspiciis omnia tribuens, Hispanis omnibus temeritatem propositi dissuadentibus, cum Joanne Toletano laico Cruce armatus, eò ire ausus, præter spem à Barbaris hospitaliter exceptus est. Quis credat? sermonis Divini vi, paucorum dierum spatio, quinque oppidorum municipes, cædibus & sacrilegijs infames, Sociis se erudiendos tradidère, Christiana nomina postulantes. In primo congressu, ex his lupis sexcenti in oves mutati, per primi Sacramenti ostium in Christi ovile inducti sunt: ducenta & octodecim Christianorum paria, abjuratis erroribus, matrimonii vinculo alligari se siverunt: ut discas; humanas rationes præ divino præsidio spernentibus, ardua quæque in proclivi fore; si magnanimitas adhibeatur. Manifesto Dei auxilio Sociorum virtus in pagorum uno adjuta est: quippe Ethnica mulier, recenter Christianis imbuta Sacramentis, ad conditum baptizandis diem & locum, invitante Monroio, venite renuens, in agro repentino fato dirigit. & infans ab parente, ne sacris initiaretur, clam habitus in latebris, etiam inexpectatus obiit: quibus portentis territi Barbari turmatim ad Montoium concurrebant, cælestes minas tempestivè recepto Baptismo prævertere amantes. Observatum est his

## CAPUT

## V.

Res in Assumptionis & Sanctæ Fidei urbibus benè geritur.

Assumptionis templum erigitur.

1595.

Sancta Fidei urbs excollitur.

Mors Joannis squila.

Barlena maligna aura afflatur.

## CAPUT

## VI.

Gaspar Monroius Omaguacis Christo lucrâ dis insilit.

Omaguacatum mores.

Gasparis Monroii magnanimitas.

Sexcenti baptizantur.